UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Blasphemia

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

Poteſt optimè, diſponendum: Ita quod in vita accidit, in optimam vertendum partem. *Plin.37.c.12.& lib.10.cap.12.*

¶ Historica Exempla.

Philippus Alexandrum filium ſuum obiurgabat, quod largitionibus beneuolentiam Macedonum ſibi conciliaret, Quæ te, malum (inquit) ratio in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis; an id agis vt Macedones te non regem ſuum, ſed creditorem putent.

Vide Amicitia, Benignitas.

Benignitas.

¶ DEFINITIO ET ETYMOL.

BENIGNITAS, Græcè ἀγαθότης, ητος, ἡ, dicitur. Et eſt habitus voluntariè benefactiuus, & ad loquendum dulciter, *ſecundum B.Thom.2.q,80.* Hebr. *Cheſedh & Nedhabah,* de quibus ſupra in voce Beneficentia & Beneficium.

Benignus Græcè χρηςὸς, ȣ, ὁ, eſt ſponte ad benefaciendum paratus & dulcis ad eloquium. *ſecundum Iſidorum lib. Etymolog.*

A bonus verò fit benignus, id eſt, liberalis, beneficus, clemens.

¶ Philosophicæ Sententiæ.

Non ita claudenda res familiaris, vt eam benignitas aperire non non poſſit? nec ita reſeranda, vt pateat omnibus. *Cicer. lib.2. de Officijs.*

Benigni oculi ſummam animi pulchritudinem comitantur: & contingit, vt qui non excandeſcit, iraſcitur, aut bile mouetur, faciem ſplendidam ſerenamque habeat. *Nicoſtratus de Nuptijs.*

¶ Apophthegmata.

Aiebat Diogenes, manus non eſſe porrigendas amicis, digitis complicatis: Innuens non ſatis eſſe, ſi comites nos præbeamus amicis, ſed comitati adiungendam benignitatem. *Plut.*

Si quando pecunijs egebat Diogenes, eas ab amicis accipiebat: at ſuggillantibus eum, quod præter philoſophi dignitatem peteret, quod eſſet mendicorum: Imò, inquit, non peto, ſed repeto. Repetimus enim mutuum aut depoſitum. *idem.*

Amicus autem egenti amico dans, non donat, ſed reddit quod debebat. Qui enim egenti amico pecuniam non ſuggerit, rem alienam detinet. *idem.*

¶ Exempla Biblica.

Benignitatis diuinæ erga homines *exempla:* Erga Abrahamum, ad quem benigniſſimè reſpondet, *Geneſ.18.v.23.26.&c.* Loth, vxorem, & filias eius, 19.16. Iacobum, quem ab Eſau, Laban & alijs benignè defendit, 48.16. Iſraelitas, quos benignè protexit, *Exod.13.v.21.22.& 14.v.21.22 & 16.v.13.14.& 17.6. Deut.29.5. Ioſ 3.v.15.16. Num.24.9.* Moſen, *Exod.33.11. Num.12.8. Deut.34.7.* Ioſuam, *Ioſ.10.12.* Gedeonem, *Iud.6.37.* Eliam, *1.Reg.17.6.* Tobiam, & filium eius, *Tob.5.v.5.& 6.7.8.11.capitib.* Ieremiam, *Ierem.7.v.15.16.* Sidrach, Miſach & Abednego, *Dan.8.v.91.* Suſannam, *Dan.13.44.* Danielem, *Dan.14.v.33.34.* Languidos & morbidos, *Matth.4.23.* Petrum, *Matth.14.31.* Mariam Magdalenam, quam Chriſtus piè defendit contra Phariſæum malè de ea cogitantem, *Luc.7.39.* contra ſororem de illa conquerentem, 10.v.38. contra diſcipulos, *Marc.14.3* erga filium prodigum, *Luc,15.20.* cæcum natum è ſynagoga eiectum, & à Chriſto receptum, *Ioan.9.v.35.36.* Zachæum, *Luc.19.5.&c.* Latronem, *Luc.23.v.43.* Petrum ter Chriſtum negantem, *Luc.22.v.15.* Thomam antea incredulum, *Ioan.20.28.* Paulum in ipſo perſecutionis actu conuerſum, *Actor.9.4.* Ioannem Apoſtolum multiplici reuelatione ornatum, *Apoc.17.&c.*

¶ Exempla Historica.

Antiochus, cum Hieroſolymam obſideret, Iudæis ad maximum illud feſtum celebrandum ſeptem dies petentibus, non ſolum conceſſit, verum etiam tauros auratis cornibus adornatos, magnamq; aromatum vim, ad portas vſque vrbis, cum ſolenni pompa deduci iuſſit, traditaque ſacerdotibus hoſtia, ipſe in caſtra redijt. Regis benignitatem Iudæi admirati, feſto peracto, ſe in illius fidem dederunt. *Ioſeph in Antiq.*

Veſpaſianus filius, ſuper cœnam aliquando recordatus, quod eo die nemini quicquam præſtitiſſet, memorandam illam meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi.

Ptolomæus Philadelphus Ægypti rex, non tantorū populorū Rex, ſed tamen non minus benignus fuit Ptolemęus Philadelphus Ægyptius rex. Nam quod Iudæorum legem in Græciam ex Hebraica lingua transferri per Eleazarum Principem ſacerdotum curauerat, vt huius operæ gratiam interpreti ferret, vltra ingentem vim auri dono Hieroſolymorum templo datam, Iudæorum quoque gentis captiuos omnes per totam Ægyptum conquiſitos ſub prioribus Regibus bello captos (quanquam centum millium ... quarent) pecuunia ſua à dominis omnes redemit, ac ... nauit, vt ſine populorum iactura (quod ab omnibus ... ipſius benignitas exerceretur. Magnum profectò be... gumentum, & Ptolemæo Rege dignum: etſi tanta res ... que potentiore pluſquam ingens videri debuit. *Bap... bro 4.*

Vide Beneficentia, Liberalitas.

Bibacitas.

¶ Apophthegmata.

QVIDAM Lacon quum audiſſet quoſdam à cœna ... bendum, Num, inquit, coguntur etiam ad edendu... uit eos, qui cum non eſuriant, ad eſcas compella...

Ariſtippus, iactanti cuidam, quod multum biberet, ... retur, Quid, inquit, magni narras, quum idem faciat mu...

Poſt Mutinenſem fugam, percontantibus quid ageret ... quidam ex familiaribus eius reſpondiſſe fertur, id qu... Nilo: bibit, & fugit. Bibacitas, propenſio ad largius bi... φιλοποσία, Hebr. *Scheti,* à verbo *Schathah,* bibit ſitiens, ... poculum ori. Hinc Latinum Sitio.

¶ Adagia.

Vinaria angina. οἰνάγχη.

Feſtus Pompeius indicat, ioco iactatum in eos, qui ... tur: laborare vinaria angina.

Maduſa. *Plautus.*

De temulentis & ebrioſis.

Καρηβαρεῦντες.

Dicuntur, qui crapula grauatum caput habent. ... temulentos & ſomnolentos.

Ranarum more. βατράχων τρόπον.

Dicitur in eos, qui ſemper ſunt in poculis: parum ... dentes. verſus eſt apud Athenæum.

Οἱ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες.

Qui abſque cibo viuunt, ranarum more bibentes.

Nec Elephantus ebiberet. οὐδ᾽ ἂν ἐλέφας ἐκπίοι. *Athenæ...*

Dicitur de poculo prægrandi & ſupra modum capaci.

Κωθωνίζειν & κωθωνίζεσθαι.

Athenæus libr. 11. oſtendit, Cothonem eſſe poculi genus ... tur κωθωνίζεσθαι pro inebriari. Iactatur in largius biben...

Calicum remiges. κυλικῶν ἐρέται.

Dicuntur Calicum remiges, qui aſſiduè perpotarent, ... remo ducentes.

Κυαθίζειν.

Quaſi dicas Cyathiſſare.

In eos qui parcè quidem ſed ſæpè bibentes, non grandi... ſed Cyathis ſubinde repetitis tamen inebriantur.

Argenteus puteus. φρέαρ ἀργυροῦν.

Dicitur de poculis argenteis prægrandibus. Et Athenæ... teſtatur olim ingens poculum dici ſolitum, Puteum argen...

Aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor. ἢ πέντε πῖν᾽ ... μὴ τέτταρα

Præſcribit modum diluendi vini.

¶ Scriptores.

Bibaces qui, *Ælian. in varijs Græc. fol.14.* Bibendi ratio ... c.19. Græcorum in bibendo leges. de Iouis Olympij cra... heroum, & Soteris Iouis & Mercurij: quid modi pera... Deus qui intelligendus, *Cælius 28.6.* Bibendi leges, *Cal...* ... itiſſare, *ibidem.* De varijs bibendi conſuetudinibus apud ... vbi & de diuerſorum generum calicib⁹ agitur, *Leonicen...* Plato in libris, quos de legibus compoſuit, largiores ... conuiuijs inuitatiunculis vini non inutiles eſſe exiſtimau... 2. De helluonibus & bibacibus *Stephanus Niger in ... vitæ luxu, quem ex Athenæo tranſtulit.* Qui benè pot... dum acceſſerint, *Cælius, 28.6.* De viris claris qui vino de... *Raphael. Volater. l.32.* Vinoſitas multorum. *Ælian. in Var...*

Plura quære ſub titulo: Ebrietas, Intemperantia.

Blaſphemia.

¶ DEFINITIO.

BLASPHEMIA Græca dictio eſt, & βλασφημία, ας, ἡ ... ȣ, ὁ, blaſphemus dicitur. Et eſt quando aliquis ... quod ei non conuenit, vel de eo negatur, vel detrah... ei conuenit, *ſecundum Auguſtinum, & B.Thom ſecund... quæſt.13.art.4.*

Blaſphemia eſt contumelia vel conuicium in iniuriam creatoris.

Blaſphemare pro impiè loqui, *Matth.9.v.3. Marc. 2. v.7. Luc.5. v.21.*

Blaſphemia pro obtrectatione, calumnia, & ſermone, quo aliena fama læditur, *Matth.*15. 19. Blaſphemia in Spiritum Sanctum non remittitur, *Matth.*12.32.*Mar.*3 29.*Luc.*12.10.*Hebr.*4 & 10.26.1.*Ioan.* 5.16.2.*Petr.*2.20. Blaſphemia damnatur, *Exod.*20.7.*Deut.*5.11. 1.*Tim.* 1.20.1.*Pet.*4.v.4. Blaſphemiæ nomina. *Apoc.*13.1.

Blaſphemia eſt verbum in contumeliam Dei prolatum.

Blaſphemia eſt, per quam de Deo falſa dicuntur.

Blaſphemia eſt, cum quadam probroſa irreligioſitate conuitiorum iaculata in alterum maledictio. *Hugo de ſan. Vict.*

Blaſphemia, execratio, maledictio, vituperatio, conuitium, notens dictum, nefaria obtrectatio, infamatio ſacrilega, famam bonam lædens. Βλάπτω, Lædo, noceo. φήμη, famam. Βλασφημέω, famam lædo, conuicio. Hebr. *Neatſah*, à verbo *Naats*, Irritauit aliquem conuitijs, execratus eſt, reſpuit, ſpreuit deteſtando, inceſſit maledictis, blaſphemauit, ſubſannauit. Et in ſecunda coniugatione, *Niets*, exaſperauit, irritauit. Dicitur item *Geddupha*, à verbo *Giddeph*, vituperauit, conuitiatus eſt, blaſphemauit, inuectus eſt in aliquem verbis atrocibus. Vide Iſai.37.6.23. Ezech.20.27. Pſalm.44.16.

❡ Sententiæ Biblicæ.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum (quanto minus ad blaſphemandum?) *Exod.* 20.

Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius: & lapidet eum omnis populus. *Leuit. ca*pit.24.

Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur. *ibid.*

Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? 2.*Reg.*2.

Veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. 2.*Reg.*12.

Quia dixerunt Syri, Deus montium eſt Dominus eorum, & non Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua. 3.*Reg.*20.

Cui exprobraſti & quem blaſphemaſti? Contra quem exaltaſti vocem tuam, & eleuaſti in excelſum oculos tuos? Contra ſanctum Iſraël. 4.*Reg.*14.

Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium. Condemnabit te os tuum, & non ego. *Iob.*15.

Ne deſinas ab homine iniquitatis, qui addit ſuper peccata ſua blaſphemiam. *ibid.*34.

Vir multum iurans replebitur multa iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga. *Ecleſ.*23.

Omnia quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt (vt videtur) *Eſai.*8.

Ideo dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittitur: Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. *Matth.*12.

Amen dico vobis, quoniam omnia remittentur filijs hominum peccata & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerunt. At qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum. *Marc.*3.

Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur ei: ei autem qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur. *Luc.*12.

Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes. *Rom.* 2.

Ideo notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. 1.*Cor.*12.

Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. *Coloſſ.*3.

Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: (non per Dominum aut alia iuramenta ſua.) *Iacob* 5.

Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Deus. *Iud.*5.

Aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cœlo habitant. *Apocal. ca*pit.13.

Blaſphemauerunt Deum cœli præ vulneribus & doloribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam. *ibid.*

❡ Sententiæ Patrvm.

Non minus peccant, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. *Auguſtinus ſuper illud Matthæi: blaſphemauit.*

Quando vult Deus concitare poteſtatem aduerſus hæreticos, aduerſus ſchiſmaticos, aduerſus diſſipatores Eccleſiæ, aduerſus exufflatores Chriſti, aduerſus blaſphematores Chriſti: blaſphemi non mirentur: quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar. Cognoſcat ſe Agar: ſupponat ceruicem, quæ cum humilitata diſcederet à domina ſua, occurrit ei Angelus, & dixit: Quid tibi eſt Agar ancilla Saræ? Cum conqueſta eſſet de domina, quid audiuit ab angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur, atque vtinam reuertatur, quia proles eius, ſicut proles Iacob, cum fratribus hæreditatem tenebit. *Idem ſuper Ioan. & habetur 23.q.4.Quando vult.*

Cum caput mulieris ſit vir, caput autem viri Chriſtus, quæcunque vxor non ſubijcitur viro, hoc eſt, capiti ſuo, eiuſdem criminis rea eſt, cuius & vir, ſi non ſubijciatur capiti ſuo, Chriſto. Verbum autem Domini blaſphematur, vel cum contemnitur Dei prima ſententia, & pro nihilo ducitur: vel cum Chriſti infamatur Euangelium, dum contra legem fidemque naturæ, ea, quæ Chriſtiana eſt, & ex lege Dei ſubiecta eſt viro, imperare deſiderat: cum etiam gentiles fœminæ viris ſuis ſeruiant communi lege naturæ. *Hieronymus ad Titum, & habetur 33.q.5.can. Cum caput.*

Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt; patet prima fronte blaſphemia. Non neceſſe habet conuinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt. *Hier. ad Cteſiphontem de Libero arbitrio contra Pelagianos hæreticos.*

Blaſphemia veniam non meretur. *Idem, Epiſtola triceſima ſecunda.*

Mos erat Iudæis, cum aliquid blaſphemiæ audiebant, ſcindere veſtes: ſicut Paulus & Barnabas, cum cultu diuino honorarentur, ſciderunt veſtes ſuas. *Rabanus ſuper Matth.*

❡ Similitvdines.

Chryſoſtomi, Si quis lupum cooperiat pelle ouina, quomodo cognoſcet illum, niſi aut per vocem, aut per actum? Ouis inclinata deorſum balat, lupus in aera conuertit caput ſuum contra cœlum, & ſic vlulat. Qui ergo ſecundum Deum vocem humilitatis & confeſſionis emittit, ouis eſt: qui verò aduerſus veritatem turpiter blaſphemijs vlulat contra Deum, lupus eſt. *In 7. Matth. homilia decima nona.*

Thriueri, Quemadmodum filius, qui à patris præceptis inſolenter atque neglectim deuiat, minus peccat, quàm qui præſenti parenti proteruè repugnat: Ita contra Deum quoque grauius peccat, qui blaſphemiam vel ſacrilegium committit, quam qui humaniter delinquit. *In apoph.* 117.

❡ Exempla Biblica.

Blaſphemiæ in Deum exempla: in Satana, *Geneſ.3.v.4.5. Matth.* 4.9.*Luc.*4.7. Pharaone, *Exod.*5.2. filio Salumith Iſraelitidis, *Leuit.* 24.11. familiaribus Regis Syriæ, 1.*Reg.*20.23. Sedecia, 22.24. 2.*Paral.* 18.*v.*23. Rabſace, 2.*Reg.*18.*v.*30.35.& 19.*v.*10.22.23.28. Sennacherib, 2.*Paral.*32.11.*Eſai.*36.*v.*15.18.20.& 37.*v.*6.10.17. Rege Tyri, *Ezech.* 28.2. Nabuchodonoſor, *Dan* 3. *v.*14.15. Holopherne, *Iudith* 6. *v.*2. Iudæis, 1.*Machab.*1.*v.*12.45.*Eſai.*1.4.& 3.24. *Matth.*9.34. *Ioan.*7.20. & 9.v.16.24.& 10.20. quibuſdam Gentibus, 2.*Machab.*12.14. Nicanore, 15. v.1.2.3.4.5. Scribis & Phariſæis, *Matth.*9.34.& 12.24. *Marc.* 3.22.*Luc.*11.15.*Ioan.*7.20. & 9.*v.*16.24. & 10.20. ſummis Sacerdotibus, Principibus populi, Scribis & Phariſæis, *Matth.*27.39. *Marc.*15. 31.*Luc.*22.v..64.65.& 23.37. latrone. *v.* 38. Pauli hoſtibus, *Actor.*13. *v.*4.& 18.6.& 19.8.*Rom.*3.8. Antichriſto, 2. *Theſſal.* 2. 4. *Apocal* 13. *v.*5.6.& 16.*v.*11. Paulo ante conuerſionem, 2. *Corinth.*15. *v.*9.1.*Timoth.*1.13.

❡ Exempla Profana.

Iulianus Apoſtata, in ipſo Perſici belli medio ardore, ſeptem libros contra Chriſtum euomuiſſe proditur: cum & antea contra Chriſtianos libris editis pugnare conſueuiſſet. *Eutrop.*

Idem ſuſcepto aduerſus Perſas bello, cum in ipſo prælio ab incognito, inter coſtas lethale vulnus accepiſſet: ſanguinem ſuum manu in cœlum iaculatus, in hæc verba prorupit: viciſti Galilæe: ita enim Chriſtum appellare conſueuerat, *Sozomenus, Ruffinus, Eutropius.*

Elpidius Iuliani imp. domus præfectus, blaſphemus in Chriſtum affectatæ tyrannidis ſuſpicione bonis exutus & carceri incluſus perijt. *Nicephorus lib.*10. *c.*29.

Olympius Epiſcopus Arianus, Carthagine in Elyanenſium balneo lauans, cum Trinitatem publicè blaſphemaret: tribus ictus iaculis, tanquam fulminibus conſumptus eſt: Anno Chriſti 510. *Paulus Diaconus libr.*15. *in Anaſtaſio. Sabellicus Ennead.*8. *libr.*2. *Marullus lib.*2.*c.* [illegible] *Matthæus Palmerius in chronico. Sigebertus.*

Simon Thurnatus Anglus, Pariſienſis ſcholæ præfectus, dialecticus acutiſſimus, & artibus liberalibus peritus: cum ſenex in Moſem & Chriſtum plurimas euomeret blaſphemias, repentè obmutuit, & cum horrendo mugitu pœnas blaſphemiarum morte luit. *Polydorus lib.*5. *Anno* 1201. *Balæus Cent.* 3. *c.* 41.

Cum in conuiuio quodam Bononiæ mira arte gallus aſſatus diſſectus fuiſſet, vnus conuiuarum dixit: D. Petro hunc gallum in in-

in integrum reſtituere impoſſibile eſſe:alius verò: nec ipſe Chriſtus id præſtare poſſet. Ad has voces ſtatim gallus ipſe proſilijt, & alis colliſis iuſculum in diſcumbentium ora affudit. Blaſphemi lepra ſtatim hæreditaria puniti ſunt. *Vincentius libro* 25.*cap*.64.

Vide Juramentum, Juſiurandum, Impietas.

Bonum, Bonitas.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

BONVM, Græcè ἀγαθὸν,ȣ̃,τὸ,& χρηςὸν,ȣ̃,τὸ,dicitur. Et eſt id,quod opponitur malo: eſtq; nomen generale,& honeſta ſimul,atq; vtilia complectens,vt bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Hinc ſi bonum virum dicimus, probum ſignificamus: ſi bonum militem, fortem: ſi bonum imperatorem, prudentem: ſi bonum grammaticum,literatum: ſi bonum oratorem,facundum: ſi bonum iudicem,iuſtum: ſi bonum mercatorem, diuitem: ſi bonam faciem,pulchram. Sic è conuerſo malum generale nomen eſt, & turpia ſimul,& detrimentoſa complectens. Vnde malum virum dicimus,flagitioſum. malum militem,imbecillum: malum imperatorem,imprudentem: malum grammaticū,rudem: malum oratorem,infacundum: malum iudicem,iniquum: malum mercatorem,inopem: malam faciem,deformem.

Bonum ſummum, eſt animi operatio ſecundum virtutem optimam & perfectiſſimam in vita perfecta, *ſecundum Ariſtotelem libro* 1. *Rhetoricorum.*

Bonum eſt, quod ſuiipſius gratia eſt expetendum. *ſecundum lib.* 1. *Rhetoricorum.*

Bonitas, Græcè ἀγαθοσύνη,ης,ἡ: & ἀγαθότης,τητος,ἡ: & ἀγαθὸς,ȣ̃,ὁ, bonus, vnde benignus dicitur, id eſt, liberalis, beneficus, clemens. Quare benignam terram appellamus, fructus abundè ferentem. Plinius de Ægypto: Nulla eſt benignior tellus,nullus ager feracior. Inde benignitas,liberalitas,atque clementia.

Bonitas bonum eſt, quo mentes nulla quatiuntur perturbatione, ita à natura instructæ, vt mali nihil cogitent, aut etiam nolint, confingere neſciunt: Cuius contrarium malitia, vel vt græco vtar verbo, δόλος.

Bonorum appellatio aut ciuilis,aut naturalis eſt. Bona ex naturali ſignificatione,omnia comprehendunt, quæ proſunt. Ex ciuili ad facultates tantum referuntur. Hinc diſtinctio bonorum corporis,& animi,apud Philoſophos. *Alciatus tit. de Verb. ſign. L. Bonorum appellatione.*

Bonum, Hebr. *Tob*: Bonitas, *Tub*, & *Tobah*, à verbo *Tob*, Bonus, pulcher, iucundus, vtilis, amabilis, ſuauis, delicioſus fuit. Nomine *Tob* autem Hebrei intelligunt,quicquid bonum,pulchrum,lætum, vtile & beatum eſt, & quidem perfectè bonum, ſi de Deo vero intelligitur. Græc. ἀγαθὸν à *Tob* fluxiſſe videtur. *Bon, Bonte,* Galli dicunt, à *Tob*, literis inuerſis, *Bot, Bon.* Vide Etymologicon trilingue Lugduni editum Anno 1607. apud Antonium de Harſy, pag. 138. & 139. vbi multa obſeruatu digna de Bono & Bonitate.

¶ LOCI BIBLICI.

Summum bonum, *Pſalm*.16.11. Bonum ſectandum, *Pſal*.34.14. & 37.27. *Eſai*.1.18. *Amos* 5.v.14.15 *Rom*.12.9. *Gal*.4.18. 1.*Theſſ*.5. *v*.15. 21. *Iac*.4.17. 1.*Pet*.3.11.3.*Ioan*.v.11. Bonum non ſemper opponitur vitio, vt patet ex 1. *Corinth*.7.1. vbi ſignificat idem quod commodum & expediens, vt declarat *v*.35. Bonum non habitat in carne noſtra, *Rom*.7.18.2.*Cor*.3.5. Boni interdum ob malos plectuntur, *Ioſ*.7.*v*.12. Boni pro malis non puniendi, *Deut*.24.*v*.10.*Ezech*.18.*v*.26. Bonus Deus ſolus. *Matth*.19.17. *Marc*.10.18. *Luc*.18.19.

Bonorum ordo triplex: ſunt enim bona { 1. *Animi.* 2. *Corporis.* 3. *Fortunæ.* }

¶ SENTENTIÆ BIBLICÆ.

Amen dico vobis, niſi conuertamini, & fiatis tanquam pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. *Matth.c*.18.*Luc*.9.

Videte, ne cuiquam quis malum pro malo reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, perſequamini. *Paul*.1.*ad Theſſ*.5.

Simplex credit omni dicto: quamdiu ſimplices iuſtitiæ adhærebunt, non afficientur pudore. *Prouerb*.14.

Condona iniuriam proximo tuo, & tum peccata tua, te precante, diſſoluentur. *Eccleſ*.28.

¶ SENTENTIÆ PATRVM.

Virtutes quibus viuitur rectè, magna bona ſunt. Species autem quorumlibet corporum, ſine quibus rectè viui poteſt, media bona ſunt. *Aug. de lib. Arb.*

Neque accepta duo ſunt bona, quæ ante oculos eius malorum admiſtione maculantur. *Gregor. in Moral.*

Illa eſt vera innocentia, quæ nec inimico nocet. Q… cens? qui cum alijs non nocet, nec ſibi nocet. Qui… nocet, non eſt innocens. *Auguſt. ſuper Pſalmos.*

Innocens inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ bo… malignantes, cum de pœna metuit, de innocentia glo… *broſ. ad Demetriadem.*

Gaude de innocentia & exulta, gaude, inquam, quia… ſa eſt, vbique ſecura. Si tentaris, proficis: ſi humiliaris… pugnas, vincis: ſi occideris, coronaris. Tu in ſeruitute… periculo tuta, in cuſtodia læta: tibi omnis reatus ab… uerſa militia ſubiugatur: te potentes honorant, ſuſp… pes, magnates exquirunt, & illi nonnunquam te defe… pugnant: tibi boni parent, mali inuident, zelant æmul… cumbunt, nec vmquam puteris victrix non eſſe, etiam… mines iuſtus defuerit. *Chryſoſt. in Homilijs.*

Simplicitas minimè omnium ſuſpicax eſt malorum…

Malus quàm citiſſimè condemnat bonum: Bonus a… lum quidem facilè: nam qui ad mala non eſt promptu… ſpicionem quidem facilis eſt. *Ex vitis Patrum.*

Ingenium expers militiæ, tardius quoque ſuſpicatur… inimicum in manus tuas incidiſſe, noli putare tempu… tionis, ſed ſalutis: itaque tum maximè parcendum eſt… in noſtra fuerint poteſtate. Si tibi quis moleſtus fuerit… ne ſis moleſtus, alioqui illi ſimilis fueris. Nemo malum… ſed bono malum. *Chryſoſtomus.*

Puritas innocentiæ conſeruata, fons eſt & origo omni… virtutis. *Hugo.*

¶ POETICÆ SENTENTIÆ.

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηςὸς ὢν ποιεῖ.
Nullus bonus exiſtens malum facinus committit.

Idem.

ὡς ἡδὺ συνέσει χρηςότης κεκραμένη.
Quàm iucunda res eſt, bonitas prudentia commi…

Theognis.

Κύρν' ἀγαθὸς μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί,
Τολμᾷ δ' ἔν τ' ἀγαθοῖς κείμενος, ἔν τε κακοῖς.
O Cyrne, vir quidem bonus animum ſemper habe…
tem,
Et animoſus eſt tum in malis, tum in bonis conſt…

Sophocles in Electra.

Οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς εὔκλειαν αἰσχύνειν θέλει.
Nullus bonorum malè viuendo bonam de ſe fam…
ſtare vult.

Menander.

ὁ χρηςός ἐςι πολλαχȣ̃ σωτήριος.
Vir bonus multis in locis ſalutaris.

Idem in Pallade.

Κἂν ταῖς ἀπορίαις ἐσθ' ὁ χρηςὸς χρήσιμος.
Et in rebus perplexis, vir bonus vtilis eſt.

Idem in Homopatrijs.

Εἰς πάντα καιρὸν, καὶ τύχης ῥοπὴν πᾶσαν,
Τῶν χρηςῶν ἔχει τὴν ἐπιμέλειαν καὶ θεός.
In omni tempore, & quauis inclinatione fortunæ,
Bonorum curam ſuſcipit etiam Deus.
Νὴ τὴν Ἀθηνᾶν μακάριον ἡ χρηςότης
Πρός πάντα, καὶ θαυμαςὸν ἐφόδιον βίῳ.
Beata res eſt bonitas per Mineruam
Vbique & mirum vitæ viaticum.

Pindarus.

Alienis aperire noli,
Quidnam laboris nos exerceat.
Hoc te admonitum volo. Bonarum quidem rerum
Sortem & iucundarum, coram oportet
Toti populo declarare:
At ſi qua diuinitus grauior contigerit
Hominibus fortuna,
Eam abſcondere conuenit.

Sophocles.

Ne multis euulges præſentem fortunam;
Nam ſi taceatur, lugeri poteſt amplius.

Euripides.

Palam enim ſortem ſuam teſtari
Apud omnes, imperiti hominis eſt: celare verò ſ…
Dolorificum eſt quidem, in turpe damnum a…
dere,
At ſi fiat, comprimendum eſt ſcitè
Abſcondendo, nec omnibus enunciandum.
Huiuſmodi enim gaudium hoſtibus, & riſum m…
Sapientes ſua celant mala.
Bonus eſt, qui leges, & patrum ſtatuta ſeruat.

Horat. lib. 1. Epiſt.

Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges iuraq; ſeruat.

Terent. Hec.

Namq; eo pacto maximè apud te meo erit ingenio f…
Cum illa quæ nunc in me iniqua eſt, æqua de me d…

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN